

ab Ochino, in quo in controversiam vocat, an Deus aliquis sit adorandus, & ex libro Cracoviæ impresso, cui titulus, *Simonis Religio*, & cujus hæc conclusio est; *ede, bibe, lude; jam Deus figmentum est*; ut habemus ex Boverio tom. 1. demonstr. 1. art. 2.; in Germania demum innumeros pene refert Joannes Sturm in 3. par. Antipap. 4. Demum idem Dominicus a SS. Trinitate, loco nuper citato, asserit; apud Calvinistas vigere Atheismum, ut testatur Petrus Gregorius Tolosanus tom. 3. comment. artis mirabilis, qui refert librum a Calvinista impressum, expresse docentem, nullum dari Deum præter naturam.

Hos omnes satis esse ad Sectam constituendam nemo negabit. Etsi enim sub uno Auctore non militent, pro uno tamen, ut dicebamus, eodemque errore conveniunt; quem etiam scriptis docere non erubescunt, intendunt adeo evulgari, ut ad constituendam Sectam sufficiens esse possit. Possumus etiam addere, quod sub Auctore Protagora militent, quem nuper diximus ex Lactantio, primum omnium divinitatem omnem in mundo negasse. Concedimus quidem occultam esse Sectam, Sectariosque latere; sed illos tantum latitant, qui idem ebibere virus adversantur. Cæterum si forte comperiunt corruptos animos, qui sint parati se illis adungere, statim se iisdem produnt, & majori Sectariorum numero Sectam extollunt. Formidine pœnæ aliquando se abditant, non erroris propagandi libidine; qua utuntur ut plurimum & ut socios sibi adfiscant, & ut errorem longe lateque diffundant.

An sit autem in mundo natio, vel regio, in qua Atheismus manifesto profiteatur, negant omnes de terrarum orbe, qui modo nobis innotescit. Cæterum refert Molina 1. p. quæst. 2. ar. 1. §. ad hæc, quem citat Cacheranus Theol. Assert. t. 1. trac. 1. de Deo uno lib. 1. c. 1. §. 5., Brasilianos, ante Lusitanorum in illas oras navigationem, omnimoda Dei ignorantia laborasse. Dominicus a SS. Trinitate loco superius citato hæc reponit; quod de Acrotheitis refert Theophrastus, de Callaicis Strabo, de Brasiliensibus Molina, nullam scilicet apud hos Dei notitiam repertam, falsum esse putant aliqui. Et P. Joannes Sanguens to. 1. disp. 1. ar. 1. scribit: *Idvero quod tandem additur de Insulanis illis Americanis, quos creditur fuit nihil inter se loqui, aut etiam cogitare de Deo,*

tanto minoris ponderis est, quanto plures ex adverso adsunt Historici, qui talium & consimilium agrestium incolarum referant ceremonias, & festivitates, divinum aliquem cultum sapientes. Verum, quum ex Cicerone 1. de legibus habeamus; *nulla gens est, neque tam immansucta, neque tam fera, quæ non etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat*; & lib. 1. de nat. Deor. *quæ gens unquam fuit, vel est, aut quod genus hominum, quod non habeat, sine doctrina, anticipationem quandam Deorum*; Et quum insuper ab Augustino tom. 9. in trac. 106. in Joann. discamus; *exceptis paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum mundi hujus fateatur Auctorem*: Hinc facillime adducimur, ut dicamus, nec nationis, nec regionis, nec modo esse, nec unquam fuisse, vitium Atheismum, sed corrupti animi porius facinus detestabile; præsertim quando non ex sola ignorantia, quam Scholastici negativam dicunt, ortum agnoscit, sed ex ignorantia potissimum, quam positivam appellant. Sed de his fusior redibit sermo, quando de Dei ignorantia, aut vincibili, aut invincibili disseremus.

Antiquiorem Atheismo quidam dare ortum affectant, dicentes a tempore Enos, filii Seth, mundo innotuisse. Etenim Gen. 4. 26., ubi Vulgata nostra legit, *iste cepit invocare nomen Domini*, legunt ipsi; *tunc profanatum fuit invocando nomen Domini*; Vel ut Fagius vertit per paraphrasim; *in diebus ejus inceperunt filii hominum, ut non orarent in nomine Domini*. Attamen hoc est antiquum Hebræorum commentum, quo non Atheismum, sed Polytheismum, probare, a temporibus Enos in mundo incepisse, intendebant. Testimonium habemus Hieronymi in traditionibus hebraicis hæc scribentis: *Plerique Hebræorum arbitrantur, quod tunc primum, idest tempore Enos in nomine Domini, & in similitudine ejus fabricata sint Idola*. An autem re vera Polytheismus, seu verius Idolatria, a temporibus Enos, hoc est ante Diluvium, in mundo apparuerit, ex præfatorum verborum intelligentia pender. Hoc profecto, quum sit a nostro instituto alienum, legendum remittimus apud alios, qui rem ex professo tractant; & præcipue apud Peritdidier in Dissertationibus in Sac. Scripturam Dissert. 14. sect. 3.